



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VII. In singulis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

non à Prælato, qui auferendi jus habet, sed ab alio, idque constat ex dictis *in cit. c. ult.* Quintò, Prior claustralis præ cæteris post Abbatem potens sit in opere, & sermone, ut exemplo vitæ, verbòque doctrinæ Fratres suos instruere possit in bono, & à malo amovere, zelumque Religionis habeat, secundùm conscientiam delinquentes corripjat, & castiget, obediens foveat, & confortet. Abbas verò, cui omnes in omnibus reverenter obediant, frequenter sit cum Fratribus in conventu, & vigilem curam, ac sollicitudinem de omnibus gerat; si prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, vel negligens, aut remissus, à Prælatura deponendus, & aliter secundùm regulam castigandus est. Nec potest Abbas super habenda proprietate cum Monacho dispensare, eò quòd abdicatio proprietatis (sicuti & custodia castitatis) intrinseca sit statui Monachali, sive Religioso, ut in ea nec Papa possit dispensare: intellige, fieri non posse, ut manens Religiosus proprium habeat, vel continentiam non seruet, aut Prælato obedire non debeat, nam hæc sunt de essentia statûs Religiosi, ideòque impossibile est, removeri in sensu composito, videlicet, ut verus Religiosus existens proprietatem habere possit, vel uxorem ducere; interim potest Pontifex ex justa, & necessària causa dispensare in voto Religiosæ professionis, eòque relaxato potestatem concedere, uxorem ducendi, proprium habendi &c. imò hæc relaxato voto per se licent. Qua de re videri potest *Barb. hic, Sanchez l. 4. Mor. c. 1. n. 16.* & quæ dixi *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 8.*

CAPITULUM VII.

In singulis.

PARAPHRASIS.

Innoc. III. in *Concil. Later. c. 12.* decernit de Capitulis Provincialibus, quolibet

triennio celebrandis, ad quæ Abbates omnes, Priores item, atque Præpositi proprios non habent Abbates, tum exempti, tum non exempti, venire tenentur. De his Capitulis agit etiam *Historia III. in c. sequente*, & plura videri possunt apud *Trit. in L. de cons. Capituli pro vin. in præfatione.*

SUMMARIUM.

Forma Capitulum Provincialium Regularium.

Capitulum horum Provincialium singulis triennijs congregandum est, & consuetudo, etiam in Germania viget, post *Concil. Constantiense*, videlicet ab anno Christi 1417. fermè usque ad annum Christi 1500. præsertim in Moguntina Provincia, uti videre licet apud *Tritemium in Chron. & in hb. de viris illust. c. 110 in cit. lib. de cons. Capituli Provincialium.* Et quidem 127. Abbatis sub uno Capitulo Moguntinæ Provinciæ fuisse testatur *Trit. de ruina ordinis c. 9. & c. 1.* ubi ait, conservationem Ordinis S. Benedicti, & Regularis disciplinæ incrementum, ex Provinciali Capitulo pendere.

Forma Provincialis Capituli celebrandi in his fermè consistit. Primum. Quædam Abbates constitui debent, qui Capitulo præsint, Prælationis tamen auctoritatem non habent, sed mutari possunt, aliique constitui à sequente Capitulo, ut docet *h. And. hic n. 5.* Alterum. Hi 4. prædictæ auctoritate Sedis Apostolicæ fungentes, convocant omnes totius Provinciæ Abbatibus, aliòsque Prælatos Ordinis ad unum, intra Provinciam, monasterium, uti videri est apud *Tritem. de forma, & modo celebrandi Capituli.* Tertium. Quod in Capitulo statutum fuerit, quatuor prædictis approbantibus, inviolabiliter celebratur, omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis, uti etiam testatur *Tritem. cit. c. 8. §. summa.* Quartum. Prædictis in Capitulo competit quoque